Kanon Andreas S. J. Rosa hiberna in Divo Martyre Stanislao Antistite Crac. et Poloniae Tutelari.

ad calcem: Martinus Liberna etc

ROSA HIBERNA
IN DIVO MARTYRE
STANISLAO

Antistite Cracouiensi & Poloniæ Tutelari

Idibus Ianuariis

In lucem Poëticam prodeunte

ADVMBRATA

AC

Inter faustas ineuntis Anni comprecationes

Perillustri ac Magnifico Domino,

D. STANISLAO

à Skarßew

SKARSZEWSKI

Samboriensi & Drohobicensi &c.

GVBERNATORI,

Mæcenati suo fauentissimo

A. P. ANDREA KANON Soc. IESV

Religiosi Xenij nomine

E Karnkouiano Soc. IESV Collegio

OFFICIOSE TRANMISSA

Anno à florido Partu Virginis,

MDCLXI.

CRACOVIÆ *In Offic. Viduæ & Hered. Fran. Cezaryj S. R. M. Typ.*

Dmy Ks J. Gra ad S Barb

Rara placent. Primis ſic maior gratia pomis;
HIBERNÆ pretium ſic meruêre ROSÆ.

Martialis lib. 4. epigr. 22.

Dat feſtinatas, *præcox* Tibi Bruma Coronas,
Quondam Veris erat, nunc tua facta ROSA eſt

Idem.

Inſigne Gentilitium Perilluſtris ac Magnifici Domini,

D. STANISLAI SKARSZEWSKI,
Sambor. & Drohobicen. Gubernat.



I.

Nunc vacuus frugum eſt, quia dando ſeminat. olim
Meſſis erit: frugum plenus Aceruus erit.

II.

Condere debet opes: hic opes exprompſit Aceruus.
Scilicet, vt promat, condit Aceruus opes.

III.

Huc fuge, quiſquis opem, tegimenq; opis indigus optas.
Et tegit, & frugis ſpondet, Aceruus opes.

AD

Perillustrem & Magnificum Dominum,

D. STANISLAVM

à Skarssew

SKARSZEWSKI

Gubernatorem Samborien. & Drohobicen. &c.

PRÆFATIO PANEGYRICA.

FLorescentem exhiberi hyemem si cuiquam videri possit nouum, atque insolens, Tibi equidem nouum minimè videatur, qui ad lucem eximiæ, quâ polles, eruditionis iam antea videris simul frigore rigentem, simul ridentem floribus brumam olim Romanis sæpissimè fuisse. Eâ enim indole mensarum voluptas fuit, vt pretia lautitiarum minora duceret Romanâ dignitate, nisi conuiuiorum exquisitos apparatus quæsitis peregre alieni temporis floribus coronaret, & palati, ac cænarum illecebras videndi, atque odorandi illecebris, augeret, inuersoq́; temporum, rerumq́; ordine, æstates hyemare, hyemes vernare æquè importunè, ac iucundè cogeret humani luxûs ingenium, legumq́; naturæ impatiens opulentia Romana. Mihi verò meæ in Te obseruantiæ Tibi tot nominibus debitæ causa est, vt felici noui, ac florentis anni

auspicio

auspicio, votoq́ feram ad Te florentem, & Rosis purpurascentem hyemem, quæ vt semel parientis Virginis, Deiq́ vagientis prodigia conspexit, & ipsa subitò ad fecundam prodigiorum indolem, asperitatis oblita & algoris, in florem roseum, an igneum? exarsit. Neque illa ampliùs admiranda inter ostenta numerat alienissimo tempore efflorescere vineas Engaddi, exorto in terra Virgine fragrantissimo CAMPI FLORE. *Neque ego alio certiùs, quàm florentis brumæ argumento testari possim viuam in me, ac florentem vernare Tui, Tuorumque erga me meritorum, ac beneficiorum memoriam, quam Tu lætissima benignitatis Tuæ aurâ recreare solitus, fecisti, ne hiberno etiam in Sole obrigescat. Illa est quæ Fauonijs Tuæ gratiæ animata etiam inter hyemis rigores incalescit in flores, quasq́ è terra elicere non possit Rosas, vel é cælo deuocat, aut culturæ suæ operâ, partuq́ue animi tum producit in lucem, cum flos è radice Iessæa in terris ortus hyemem rigentissimam animorum potiùs, quàm terrarum æterno mutaturus vere spem ac desideria sæculorum recreauit. Quæ cælestibus tam diu rosarijs effloreſcit Rosa, eam Tibi nouis pictam coloribus domi Tuæ exhibet, eò dulciùs spectandam, quòd, vt cælestis sit, etiam Tua sit. Tuum loquor* STANISLAVM, *quem non eo duntaxat nomine Tuum habes, quòd prisca Illustrium Parentum pietas, vt æternum daret Tutelarem, cognominem Tibi fecerit: sed eo etiam impensiùs, quòd Tu clientelæ Tui præstitem fidissimum & sponte adlegeris, & venereris semper religiosissima voluntate.* ROSA *est illustri Maiorum primùm, demum suo sanguine purpurata ad*

aras

aras, cum publico vitiorum dedecore nolens erubescere seruus idem libidinum, ac gentium regnator, non tam terris demessuit, quàm cælo transtulit suum illum inprimis amicum ad aras tot vulneribus rubescentem. Non dedignaberis aditu, conspectuq; florem, quem perenni cultu, ac studio, Tua inquam religione velis quàm cultissimum, atque ornatissimum: admittes, quem complecteris pietate, atque ad Te festinanti promptam voles, obuiamq; Tuam illam indulgentiam Diuis æquè ac mortalibus cognitam, spectatamq;, quâ vt Cælites non admittis tantùm, sed cogis etiam; ea est vis laudatissima Tuæ pietatis: ita miseris, & egentibus apertam semper exhibes, & paratam. Nam quem alium egestatis alienæ sitis fontem, aut fames agrum peruium magis & apertum habet? Inuitas ad vsum benignitatis Tuæ, cùm Te nulli indigentiæ inaccessum facis eò subleuandæ promptior, quò facundiùs apud Te & ipsa pro se suî specie, & facillima Tui animi clementia ac misericordia pro ea perorat. Cælestem calamitati alienæ domi Tuæ fortunam facis, dum abstergis omnem lachrymam, quæ lugubri liberalitate profusè impenditur infelicitati. Antiqua nomina Mæcenatum nostro sæculo reddere videris, adeoq; nouum restituere Titum nolentem dies perdere, quos Tu non tam momentis, quàm beneficijs distinguere solitus nouam plerisque cum Sole oriri fortunam, occidere calamitatem imperas. Et quanquam, in Solis morem, communem facis omnibus benignitatis Tuæ lucem: præcipuum tamen illius vsum semper esse voluisti Religiosis familijs, quæ Tuæ beneficentiæ impendijs obæratæ cælestibus tabulis certam Tibi nominum cau-

tionem inſcribunt. Tu cum facias Tibi debitores, ita auges in alijs debita, vt ſimul aboleas; quòd beneficia beneficijs cumules; veluti priora benignitatis veſtigia poſterioribus deleturus. Atque vt prætercam alia, quæ Tu in egentium animis, ac cælo moliris munificentiæ Tuæ monumenta; quantum eſt Samboria theatrum benignitatis Tuæ! videri & ipſa poſſit felix; vt olim Arabia, quia vicina Soli: quòd illi vicinus affulgeas. Tranſiit illa iam in ampliſſimum Tuæ liberalitatis campum, in quem ſe vberius beneficentiæ alueis effundit, quàm Nilus in Ægyptum, aut fecundæ nubes imbrium in arentes agros. Cætus militantium ſub virtutum ſignis, auctorati Sacramento Chriſtianæ paupertatis, quantum ſe anguſtijs ſuſceptæ egeſtatis coarctant, tantum Tu, ne anguſtijs premantur, patentiſſima liberalitate facis. Adeo virtute præſtas, quod gentilitio magni Sanguinis inſigni exhibes, vt horreum aditu peruium, & aceruus frugum nulli inacceſſus, promere ſubleuandæ calamitati alienæ, quàm condere vtilitati propriæ promptior videaris. Hoc Tibi ornamentum & illuſtre à Maioribus genus, & amica virtuti Tuæ fortuna conſignauit, quod non inane feres: ferres ideo, quòd talis eſſes, qualem Te & vſu agnoſcimus, & in gentilitij Sanguinis eximio ſchemate, velut propria forma, figurâq; expreſſum legimus. Alijs illud fuerit auitarum laudum vacua oſtentationis cauſa: Tu promptitudine largitionis, ſupra tot illuſtria aliarum laudum decora, illud meruiſſes, niſi reperiſſes domi, quod propriâ refingeres imitatione. In Te Tuæq; beneficentiæ facilitate video, quod in Tuo Aceruo lego; quem nullo clauſum ſepimento ſpectantium of-

tium offers oculis, quòd & Tu difficultate aditûs, & gratiæ sepiri Tuam benignitatem nolis peruius calamitati alienæ miserentis ac donantis animi affectu, quem perinde atque horrea aperta indigentiæ patere semper voluisti. In ipsis salium fodinis quàm Tu aliam profundius rimaris fortunam, quàm quæ in vberrimam excrescat beneficentiæ sementem? vt non aliam in Te sal ille accendat sitim, quàm bene de omnibus merendi, nec plus commodi ex illo naturæ scaturientis puteo velis educere, quàm facilem Christianæ liberalitatis fontem Dat ille Tibi felice prouentu, vnde aliorum vel aduersam fortunã temperare inspersis largè salibus, vel lachrymas condire possis; in hoc vltra morem liberalium munifico, quòd quibus nec aquam gratis dedisset Antigonus, Tu salem æquè ac panem liberaliter elargiris. His exporrecti in dona animi, & animo respondentis dexteræ argumentis an non facilè in Tua tecta suo purpuratum sanguine STANISLAVM traxisses? An illa non implésset magnus ille Hospes, in cuius non modò nomen, sed ingenium, virtutemq; transieris? dum, vt ille ab inopia alios, alios ab iniuria vindicabat, Tu non solum nominis sed etiam virtutis heres eadem in Te decora verissima similitudine exprimis. Hic Tibi aditus primarum laudum, hæc iustissima ratio consequendæ gloriæ, cuius Tu possessionem eo certiorem adijsti, quòd suffragijs omnium Viri optimi, ac integerrimi nomen consecutus, (elogium maius omni Oratorum assentatione, & Historicorum gratiâ) regio insuper oraculo talis dici, & haberi merueris. Quid de Te VLADISLAVS antea, quid nunc IOANNES CASIMIRVS

inuicti-

inuictissimi Reges Poloniæ senserint, se ntiantué, quàm altè in pectus vtriusque descenderis, ille ignorauerit, cui VLADISLAVS *ipse, atque ipse* CASIMIRVS, *tanta nomina! ignoti sint. Ille te non tam aulæ, quàm animo admotum nunquam à se abesse voluit, ac ne abesse posses, deuinctum tenuit singulari beneuolentiæ regiæ complexu: aut si Te grauiora Principis, ac Reipublicæ negotia abesse cogerent, ita tantùm abesses, vt Principem in Te ferres; adeo ne tunc quidem absens, cum abesses, quòd Principis personam Principis Orator ferres. Nam pro* REGE VLADISLAO *&* Ferdinandum III. *Romanum Imperatorē, & Transyluaniæ Principem adiisti, vtrobique negotio publico perfunctus magno gloriæ prouentu, quem inde eo vberiorem collegisti, quòd iustissimis plurium de Te, Tuâque dignitate Principum sententijs collegeris. Auxit in animis omnium æstimationem Tui* VLADISLAVS, *cum Te gemina ornatum Præfectura magnis deinde Reipub. muniis destinaret admoturus omnino, nisi mors immatura reliquisset alteri officia paratissimæ voluntatis. Neque alium nactus es in regio* CASIMIRI *affectu locum, quàm quem cognosceres à Fratre relictum Fratri Serenissimo, ideo etiam heredi, quòd pariter cum Sceptro beneuolentiæ erga Te regiæ successionem adierit. Creuit illa in segetem beneficentiæ, cum nouâ iterum auctus Præfectura, ac Drohobiciæ impositus Gubernator; insuper Samboriam, totamq́ eius, quæ amplissima est, ditionem regendam, & administrandam regiæ voluntatis, ac benignitatis nutu suscepisti. Neque adeo mirum est Te Principibus cordi esse, vt mirum videretur, nisi esses. Tantùm tua meretur*

dignitas,

dignitas, ac virtus, vt beneuolentiam omnium sui pretio non tam Tibi colligat, quàm cogat. Nam cui non imperet eximium amorem Tui illa cum ex consuetudine aulæ diuturna, tum ex indole ac ingenio, ad politioris sæculi venustatem nata, factaq́ urbanitas? illa constans, & grauis, atque inter maximas rerum, ac negotiorum veluti tempestates quæ Te vndique ambiunt, comitas inconcussa; illa eloquentiæ ciuilis ad extemporalem dicendi vsum prompta, parataq́ facilitas ac felicitas: illa elegantiâ leporum, ac modestiæ legibus temperata orationis gratia Atticis leporibus præhabenda: illa nullo inani vacuæ ostentationis obtenta fuco ditissimæ eruditionis opulentia scientiarum apparatu collecta: illa inprimis Christianæ probitatis, & ciuilis elegantiæ suâ raritate carior societas. Ita enim eximium Te Ciuem præstas, vt ne minor sis Christianæ pietatis laude; nisi quòd potiorem hanc Tibi esse velis, quæ cultum ciuilis vitæ ad æternitatis rationes componat. Ita omnem erudiisti ætatem, vt cum scientiarum opes domi, forisque colligeres, virtutis obsequio mancipares curas, & hanc artem inprimis disceres, vt sciendi, videndiq́ studia posses in curriculo publicæ, ac priuatæ vitæ, exigere ad normam certissimam virtutis. Cum ad omnium consuetudinem ac vsum ita Te exhibeas varium, vt ad legum aulicarum leges familiaribus aulæ factus, ijs, quibus affluit argutæ facundiæ suauitas, argutissimus, inter doctos, atque eruditos doctus ipse inprimis, atque eruditus videaris: Tunihilominus Tui semper similis, atque is videris, quem vna, eademque virtus eundem vbique præstat, eòq́ue maiorem facit,

quòd nexu admirabili complecti didiceris Christianæ, ac ciuilis vitæ commendationem. Impegêre nonnulli in scopulos probitatis, cum lustrarent Orbem, ac veluti in vada, ac syrtes abrepti non aliam peregre fortunam retulère, quàm quæ infelices faceret. adeo mercium animi inanes in Patriam reduces, vt domestico otio melioribus fatis marcuissent: Tu cultissimas terrarum Prouincias non alio fructu, euentuque adijsti, quàm vt cultissimus in Patriam, omniumq́ complexum meritissimus redires. Quòd eos Tibi deuinctos habeas, quos politioris literaturæ dignitas commendat, Tua illa literatura maximo eruditionis instructa apparatu facit, quæ cum ipsâ similitudine amorem in Te literatorum trahat, rarâ sui excellentiâ obseruantiam excitat, & admirationem. Quam carissimam cum Musis habes ac literis, eadem consuetudo gratissima Tibi est cum literatis, quorum obseruantiâ singulari eò ipse maiorem colligis Tui obseruantiam, quò literatior ipse etiam literatissimis videris. Quàm se Tibi olim Sarbieuius, voluit, quam Tu familiarem Te illi esse voluisti? quòd scilicet seipsum alter in altero amaret, dum seu ingenij exacuti, seu doctrinæ cultioris similitudine aut luderetur in altero, aut alteri alter colluderet. Et quanquam fatorum inuidia Virum illum sæculis dignissimum Tibi ex oculis subduxit: subducere equidem nunquam possit animo, constanti beneuolentiâ memoriam illius perennem apud Te animante. At neque oculis subductum omnino Tuis dicam Sarbieuium, quòd eum adhuc intueri, adhuc videaris alloqui, & audire, dum suauissimam illius Musam sæpissime audis, ac relegis, eo sensu animi, vt

viuere

viuere Tecum ille, in Te equidem censeri possit, quòd eundem inspiret Tibi, quem magnus ille animus spiritum suis monumentis infudit. Ac ne in ipso tantùm Sarbieuio suis laboribus expresso Sabieuium spectares; quæ ille à cælestium rerum vsu dulcissima inprimis, carissimaq́ habuit, Horatij inquam, ac Senecæ opera, Tua esse voluit moriturus, eo supremi muneris argumento testatus carissimum fuisse sibi, cui traderet è religiosæ paupertatis penu, quæ infra rei cælestis opes carissima æstimabat. Atque hic Tuus erga literatos amor, aut Tuæ cum literatis beneuolentiæ consuetudo familiarior ad Te facilè aduocat literatos, vt nullum libentiùs limen adeant, quàm Tuum, hîc inprimis securi suum apud Te literas pretium habituras. Hîc, si vsquam alibi, literæ fouentur veluti materno gremio, hîc ingenia adeò recalescunt, vt vel iacentia erigi, vel languentia excitari possint. Mihi certe, vt præteream alios, ex diuturno cum ægritudinæ luctanti, velut spiritum indidisse, vitamq́ videris afflauisse, vt Latinam (si Musis placet) ad lyram diuos magni Præsulis STANISLAI *Manes carmine, quod vatibus ceu quoddam Magiæ genus est, euocare, sacrosq́ quodam modo cineres animare attentauerim, & solenniore paulò chlamyde conuestire. Atque vtinam ea carminis maiestas, & gratia hîc mihi obtigìsset, quam vel Tu sperare visus es, vel tanta Cælitis amplitudo virtusque postulauit: sed vtrumq́ æquare velle nescio an non arrogantis, ac sibi plusculum tribuentis foret ingenij, vltra vires etiam (quæ scio quàm sint mediocres) enitentis. Non ita tamen omnia, in perexiguo munere aspernaberis Mæcena-*

tum Opti-

tum optimè vt vel vnicum tuis obsequendi votis conatum non approbes, ne dicam scriptionis argumentum. Equidem genus carminis, non aliud præelegi, quàm quod ipsemet imperasse visus es, dum elegeras; cum peruetustam illam de Beatissimo Poloniarũ Tutelari Stanislao Oden, ad seueriores Lyricorum numeros, paraphrasticâ vtique Parodiâ conformaui. Certè vt nonnemini minùs fortassis prospero Apolline carmen istud fecisse videar: Tibi attamen, vti pro ANTONIO *metris à me, Aris à Te donato Samboria, ita pro* STANISLAO, *ad Romanam decantato lyram, Cracouia debebit non nihil; vt qui Tuo consilio, Tuo ductu, Tuo ipsius ære, plectra alioqui iam desueta, sonoro Tuæ humanitatis classico excitaueris. Vale Vir à virtute, prosapiaq; excellentiâ Perillustris, & Rosam Missilem sed & Mittentem, longo à Te disiunctum spatio, præsentem officio, Tuâ vel in distans agente benignitate prosequere.*

Perillustri ac Magnificæ
Dominationi Tuæ,

Deuotissimus semper in Christo
Seruus

ANDREAS KANON,
è Societate IESV.

PARO-

PARODIA
AD HYMNVM
POPVLAREM,
Gaude Mater Polonia. &c.

NE ſola fortes progeneret viros
Lacæna, felix prole Polonia
Contendit, & Spartæ maritas
Anteuenit meliore partu;
Natale cuius robur, & ardua
Septemtrionis durat in algido
Caletque virtus, bellicorum
Feta operum, ſolidique Martis.

Gaude Mater Polonia
Prole fecunda nobili,

Aſſurge toto Lechia vertice
Lætis remiſcens gaudia plauſibus,
Regumque ſupremi, frequenta
Peruigili ſtatione laudes
Laudumq; cauſas: Quo duce Pontifex
Mercatus alto ſanguine lauream,
Latè STANISLAVS per orbem
Explicuit noua ſigna victor.

Summi Regis magnalia
Laude frequenta vigili;
Cuius benignâ gratia
Stanislai Pontificis
Paſsionis inſignia
Signis fulgent mirificis

Hic Fas, & Æqui caſtra, fidelibus
Tutatus armis Iuſtitiæ pugil,
Vindex Honeſti, fulminantem
Impauido ſubit ore Regem

Hic certans pro Iuſtitia
Regis non cedit furiæ,

Mox parricidam. Quó raperis, tui
Oblite Sceptri? nec decorum memor,
Quó te, per abruptum pudoris
Deuia præcipitat libido?
Quæ monstra culpæ? quæ prius execrer
Lasciuientis crimina Regiæ,
Cænasque, subductasque stratis
Teste polo, populoq; Nuptas:
Non fabulosæ more Proserpinæ?
Quid secta diro pectora vulnere
Lamenter? admotosq; Matrum
(Prô dolor!) vberibus catellos!
An decolores cæde Quiritium
Querar Secures? aut Procerum Nurus
Impunè raptas, Ciuiumné
Funera, flagitijque pompas?
Calcata spretis Relligio Sacris,
Conuulsa casti fædera Connubî;
Regina Libertas, agresti
Pressa iugo, sua iura plangit.
Nuper subactæ Gloria Roxiæ,
Nunc impudici præda Cupidinis
Nec tela declinans, nec arcum,
Duceris in scelerum triumpho!
Tamenné turpi mollis in otio,
Iniuriosis mersus amoribus,
Palmasque, laurosque, & Poloni
Dedecoras Clypeum Gradiui?
Frustra profundis conscia noctibus
Secretioris tecta licentiæ
Irrumpis, occultasque labem;
,, Per latebras, per opáca Lunæ

Paranetica Stanislai ad Boleslaum Oratio.

Stat pro plebis iniuria Christi miles in acie.

Kiouiam Russia propugnaculum subegit Bolesl.

,, Specta-

,, Spectatur intrò Regificum nefas:
,, Claris Olympi Ciuibus, haud minùs
,, Latere, quàm contingat Orbis
,, Principibus. Patet illud omni
,, Conclaue mundo. Scilicet abditæ
,, Quæsitâ noxæ tegmina, purpuræ
,, Lux ipsa prodit. Altus imo
,, Exstat & in puteo Colossus. *Seneca Phil.*
,, Peruadit arces Rumor, & intimos
,, Intrat recessus. Hinc tacitum modò
,, Fit fama crimen: serpit atrox
,, Fabula per populare limen.
,, Illustre regnum, vitaque Principis *Plin. in Traiano.*
,, Censura morum est. Astra regat licet
,, Cum sole Princeps, ius latendi
Solibus & solijs negatum.
Sic Præsul iræ lenior attonat
(Qualis furentem Theseus Herculem)
Flectique nolentem proteruè
Imperijs, monituque frangit.
At ille, moto sæuior Adriâ, *Irrita Diui peroratio*
Iam probra verbis, iam precibus minas, *apud iratum Principē.*
Suadæque Terrorem reponens
Igne micat; velut icta serpens
Deliberatum liuida conuocat
In colla virus. Tunc etiam sacro
Hortantis, immersurus altè
Vulnificum capiti mucronem
Tyrannus exlex: nî semel impius
Nollet videri. Distulit hactenus
Iras ad aram, mox daturus
Hèu! tragicæ feritatis actus

 Audace

AVDACE dignos! Iamque dedit; prior
Anteoccupato vulnere Præſulis
Dum Numen arcano precatu
Sub modicam facit ire frugem!
Ter arma iuſſus ferre, ter irritos
Referre greſſus miles, inutilem
Damnauit auſum. Cæca merſit
Nox oculos, adytiſque Templi
Repulſa vis vi! quà Michael ſacra
Se Rupe tollens, turrigeram Craci
Adſpectat arcem, cui * Vauellus
Suppoſuit ſua colla vertex.

Boleslaus, cognomento Audax.

Ex fide Hiſtoria Polona.

* *Mons in quo arx Craconia ſita.*

Regis Boleslai, eiuſque Satellitum, atrox & barbarum facinus, in Diui Martyris Corpore minutatim conciſo diſiectoq́ᵹ, inauditâ immanitate perpetratum.

HYPOTYPOSIS LYRICA

Ex Annalium Polonicorum faſtis deprompta

TVM Rex inulti pectoris impotens
Infecta rerum ſegnibus exprobrans
Aulæ miniſtris, cordis excors
Sacrilego violentus enſe
Vittata Myſtæ tempora diuidit
De Rege ſector! Principis ilicet
Exempla certatim ſecutus
Continuat malè cœpta peior
Ad iuſſa Miles. Tunc ſceleri ſcelus
Conſenſit. Vnum Tot Furijs caput
Pateſcit in cœdes! & inter
Tot gladios perit vna cælo

Tyranni truculentiam Qui dum conſtanter arguit

Dilecta

Dilecta Ceruix! moris Achaici
Diſcerpta ritu victima: cui ſacer,
Per damna, per mortes, ab ipſo
Creuit honos pretiumq; ferro.
Ehêu dolendum! præda fit aulicis
Paſtor Moloſſis! Degeneres lupi,
Feræq; de vulgo minores
Exanimum lacerant Leonem!
Pars ora ſtricto figit acinace,
Pars indecoro verbere liuidos
Detruncat artus: ille dextram,
Hic iugulum ferit; hic lacertos
Conniſus iræ viribus amputat
Vltrice ſicâ. Traijcit hic latus,
Imaſque rimatus medullas
In medijs ferus augur extis
(Inominatâ ſcilicet alite)
Portenta diri quæritat exitûs;
Ipſaſque ſcrutatore ferro
Relliquias animæ perurget!
Hiant recluſi pectoris abdita,
Spirat calenti morte fluens iecur,
Exſecta natiuis rigeſcit
Lingua fibris, & adhuc perorat
Non indiſerto muta ſilentio!
Notâque Regem voce redarguens
(Ceu nube fatali tonitru)
Sic etiam metuenda terret!
Squalent reciſis lumina palpebris,
Nec tam illa, lethi ſumma Neceſsitas
Quàm clauſit inſolentis horror
Luxuriæ, vetitique raptus,

Martyrij victoriam, Membratim cæſus meruit.

Simile D. Ambr. de Ioan. Bap. & Herode

Et exe-

Et execrandæ ſcena Tragoediæ!
Perfoſſa cordis regia, nobile
Auguſtal & Sedes Amoris
Concutitur chalybum tumultu!
An & Tiaris emeritum Caput
Arx illa magnæ Mentis & intimum
Conclaue, ſanctioris otî
Cuſpidibus, capuliſq; tunſum
Sicariorum panditur ictibus?
Bis terue tinctâ ſanguine purpurâ,
Debere ne poſſet colorem
Sidonio Tyrioué fuco.
Sed quid ſceleſtæ turba ferociæ,
Quid Rex atroci concolor Atreo,
Quid lictor, & lymphata pubes
Aut Comites furialis oeſtri
Inerme contra Pontificis Pedum
Faſceſque poſſent? Sparſa per inuios
Quanquam platearum receſſus
Membra iacent & egena buſti
Cœlo teguntur; ſed Iouis Alites
Non vſitato funeris ambitu,
Et lege, Sacrorum parenti
Triſtibus excubijs parentant,
Lugente Craco, congeminantibus
Alterna ripis. Fit gemitus: Patrem
Quà voce, quà planctu requirunt;
Dum caua per, per acuta * Rupis
Diſiecta paſſim fruſta legunt, ſacris
Aptantque fruſtis. Nec mora, cum ſuæ
Et dextra reſpondit ſiniſtræ,
Peſque pedi, capitique ceruix

Sacri Corporis custodes Aquilæ.

* *Locus patratæ cædis Rupella vulgò dictus*

Accommo-

Accommodatis reddita nexibus!
Collecta ſparſis cæſaries comis,
Frontique maieſtas reducta, &
Mite ſupercilio ſerenum;
Arguta rursûm lux oculis redit!
Certare credas labra Corallijs;
Et pallor, & frigus genarum
Pleno animæ caluêre ſucco!
Redintegrati ſic noua Corporis
Compago neruis conſtitit; extimâ
Vibice plagarum rubeſcens,
Schema trucis breue parricidî
Seris dolendum ſchema Nepotibus!
Hæc inter: abſens proditur indice
Pollex lucernâ, quem propinquo
Piſcis edax tumulârat amni.
Occulta quantum vis medicæ manûs
Et Fata poſsint! Prodigialibus
Conſtare momentis neceſſe eſt
Quæ superûm labor, architecto
Molitur intus Numine! Qui modò
Truncum cadauer delituit ſolo,
(Graſſante membratim Furore)
Tot necibus lacer, immò nullus,
Repente plenis cernitur artubus
Suo ſuperſtes viuere funeri;
Viſus redordiri ſubinde
Fila ſuæ malè rapta vitæ.
Sic vſta multo ſole Roſaria,
Sic laſſa nimbis colla papauerum,
Sic Ales Eöis reuixit
E cinerum renouata buſtis.

Nouum pandit miraculum
Splendor in Sancto cælicus.

Redintegrat corpuſculum
Sparſum, cæleſtis medicus.

Pampa

Pompa Funebris, apparatissimæ Humationis, ac potius Triumphi, quo solenni ritu, sacræ eiusdem exuuiæ in primarium Vrbis & Arcis Cracouiæ Templum translatæ sunt ad lyram decantatur.

TVM verò mæstam Fama perambulans
Exciuit vrbem. Visitur vndique
Inter cicatricum recenter
Ille notas, gregis ille Ductor
Vindexque Pastor, dira frementium
Sæuis luporum immortuus vnguibus:
Aeterna SCZEPANOVIANÆ *Gentilitia familia.*
Morte locans monumenta Laudis!
Adest reclini poplite Ciuitas,
Ac immerentis multa super nece
Et multa (nequicquam timendi)
Questa super solio Tyranni,
Toro reposti Corporis inclytam
Affatur vmbram supplice de genu;
Crudele detestata littus
Et memori lita cæde saxa:
Quæcunque mæstis Cracigenæ sonis
Dixêre coram, mox vice lugubri,
Ferale respondêre cautes,
Et queruli gemuêre fluctus!
Impendiosi non ego funeris
Cantu Latinæ transierim lyræ
Pompam, tryumphalesq; flammas
Et Phrygio variata textu

Aulæa:

Aulæa: vel quæ Sólibus æmula
Conchyliati ſerica ſtraguli
Fulgore certant; grande Diuis
Manibus, Exuuijſq; tegmen!
Quidquid beati veris odoribus
Inhalat Orbi Pæſtus amænior
Quidquid venuſtatum recondit,
Flora, dedit: Tumuloque plenos
Florum quaſillos floribus aggerans,
Inſperſit albis Lilia cum Roſis,
Miſtoſque Narciſſis Acanthos,
Et violas, viridemque Maium.
Nec Terra ſuccos, aut opobalſama
Functi ſupremis inuidet vſibus,
Nardoſque, lachrymaſque Myrrhæ, &
Thura Arabum, Cilicumque meſſes.
Peruncta Medis vrna liquoribus
Fragrante venâ per populos fluit;
Grato Sabæorum vapore
Fumat iter, via vernat herbis,
Rident plateæ, cantibus aſſonant
Delubra lætis non ſine compitis,
Errante vicatim Thaliâ
Et ſocios acuente plauſus.
Inauguratis proxima cætibus,
Vndantis ibat turba frequentiæ,
Feſtiſque gratulata circum
Atria perſtrepuêre plectris;
Reſpondet omnis carmine porticus,
Crebriſque ceræ virginis ignibus
Theatra collucent, & auctam
Luce diem geminare gaudent.

Iam tunc ab altâ turre tonantibus
Expergefactus Vistula machinis,
Transmisit ad Balthim, per vndas
Præsulei sonitum Triumphi.
Absterſa demûm Relligio genas,
Nil triste vultu, nil animis gerens,
Hinc inde se stipante, maior
Ingreditur Procerum Senatu
Diſcriminati murice pallij
Latè coruſcans! Posthumus interim
Submittit & moles, & arcus
Et Cathedras, Honor, & Throphæa
Æquanda priſcis Pyramidum iugis.
Virtus Coloſſis attamen altior
Non mole turritâ, aut columnis
Nititur: ipſa ſibi Trophæum.
Sic restituto Præſule, redditur
Antistes Aris: Pastor Ouibus,
Præſeſqué Sponſæ, quam ſubarrhat
Casta Fides, vigileſqué curæ.

Prodigia ad Diui STANISLAI *Martyris patrata Mauſoleum ope eiuſdem Tutelaris.*

QVisquis, Patronos, illiùs, aut prece
Votiſué Manes conciliat, frequens,
Auditur, & certo Salutis
Instituit ſua vela Curſu.
Pleroſque Fati lex violentior
Ad terminales impulerat viæ
Vitæqué currentis columnas;
Quùm ſubitò melior regreſſu

Poſcentes eius merita
Salutis dona referunt
Morte præuenti ſubitâ
Ad vitæ portum redeunt.

Fortuna

Fortuna DIVI, protulit aureæ
Et plus & vltra lucis Olympia.
Mox parca diſpenſans Sororum
Penſa Trium, tenueſqué lanas,
Diduxit aucto ſtamina vellere
Complens trecentis Luſtra decempedis:
Auſus relaxare, & citatos
Terrigenûm cohibere ſoles,
Horas, & annos tendere lætior
Mortalis æui; peſtifero licet
Latona circumuecta curru
Terreat obſidione vicos.
Polycrateum Fama quid Annulum *Pauſanias*
Pyrrhique gemmam proferat? artifex
Natura cui miro paratu
Viua ſui ſimulacra vultûs
Rerumqué formas, & decus indidit;
Queîs eruditâ inſcripſit imagine
Phoebum, relucenteſq; Muſas,
Prata, lacus, nemorumq; ſyluas.
Aæternitatis Sponſor & æmulus,
STANESILAI plus capit Annulus, Cujus ad tactum Annuli.
Plus gemma, votiuis Clientûm
Sculpta notis, tabuliſq; vitæ;
Tangi ſalubris: nam ſimul oſculis
Libare fas eſt depoſitum, ſimul
Tabeſqué, pallenteſq; curæ, & Morbi fugantur turgidi.
Putris hydrops, & anhela tuſsis,
Et æſtuantum examina Febrium,
Trans vſque Thulen lethiferis meant
Auecta nimbis. Cedit omnis
Acta retrò ſeries malorum.

Inducta siccis alma Ceres agris,
Solumque vertit dira lues; Fame,
Longâque morborum caterua
Ad Gothicos remigrante fines.

Ad locum Sancti tumuli Multi curantur languidi.

Quicunque captus luminibus, diem
Solemque ploras, quin oculi cauos
Huc tendis orbes, quà sereno
Indigetis micat igne Bustum.

Cæci visum recipiunt

Hîc & soluti vecte repaguli
Erepta mutis redditur, aut datur
Fandi potestas, Creber aurem
Hîc repetit, reperitué surdus,

Mutorum lingua soluit

Surdis auditus redditus

Claudusque gressûs officium. Tui
Tremende victor, vis Acherontica
Offendit ad marmor Sepulchri,
Et posito cecidêre fastu

Claudis gressûs officium.

Et fugatur Dæmoniū.

Cælo rebelles ac Styge Spiritus
Tortoris Orci: cùm malè pertinax
Auernus, indignansq; pelli
Frenderet in vetitum Tyrannis.
O ergo felix iure Cracouia,
Dotata sacri pignore Corporis,
Te noris: Auctoremque rerum
Non humili fer ad astra cantu

Ergo felix Cracouia Sacro Dotata Corpore Deū qui fecit omnia Benedic omni tēpore

Diui STANISLAI *interfector Boleslaus Audax, parricidij conscientiâ exagitatus, cùm erraticam obscuratamq́ perdiu egisset vitam, tristi exitu obijsse fertur.*

SIC dum cruento naufragus æquore
Beatioris limina Curiæ

Sic Stanislaus Pontifex

Subit

Subit STANISLAVS Polonæ
Gentis Amor, Columenq́; Regni,
Irata ſiſtens Numina, Lechici
Orator Orbis iam propior DEO;
Contra BOLESLAO fugaces
Ponè ſequax Timor addit alas:
Extorris execrabilis vltimas
Errat per Vrbes. It Nemeſis comes,
Sontemq́; propellens flagello
Inſequitur ſcelerum per vmbras.
Quacunque greſſum corripit, hàc ſuos
Obiectat angues Tyſiphone, Canes
Titanis; Actæon vt alter
In tenues lanietur artus.

Tránſit ad cæli Curiã
Vt apud Deum opifex
Nobis implores veniam,

MARTINVS LATERNA

E Societate Iesu Sacerdos
OLIM PRO FIDE ODTHODOXA
Nauali illustris certamine
Ex caligine maris Balthici
EMERGENS
Bono in lumine collocatur, Auspice &
Munificâ manu
Perillustris ac Magnifici Domini,

D. STANISLAI

à Skarßew

SKARSZEWSKI

GVBERNATORIS
Samborien. & Drohobicen.
Nouam sibi Tutelaris patrocinij Coloniam, Drohobyciæ molientis.

Anno Domini MDC. LXI.

PRÆFATIO.

NObilem sanè tum ex argumenti materiâ, tum ex Tuo in cœlestem illum animum studio, adieci appendicem Operis MARTINVM LATERNAM *Perillustris ac Magnifice Domine; ne suum quoque exili huic lucubrationi deesset lumen; quod non Nostram minus Societatem illustribus meritorum radijs, quàm terram illam Samboriæ finitimam, suis Natalibus, & Heroicâ facti magnitudine illustrauit. At non ita Sol hic (quando splendidiore titulo tantam virtutem etiam aquis superiorem, nec Dei minùs, quàm maris capacem animum appellare nequeo) in Balthicam profunditatem, extra Poetarum fabulas, Solem Oceano mergi comminiscentium, præcipitatus est, vt vel ardere desierit, vel lucere. Erraticorum id siderum, ac fatui potissimum ignis, esto dedecus; flammam concipere illico perituram. Atque hanc ego* HYBERNÆ ROSÆ *Facem addidi (inter reciproca veterum Missiliaritè numerari solitam) non vt* STANISLAI, *de suo illustrissimi, lucem, hæc augeat Lucerna, sed vt Tibi hic etiam morem gererem, qui vt in* MARTINO LATERNA *eminentem pectoris excellentiam) æquè ac in illo re & nomine* ALBERTO MECZYNSKI, *cuius Tu incomparabilem Viri virtutem, non animis duntaxat cupis imprimi, sed & prælo) demiratus & amplexus es: ita noluisti eam absque Elogio esse: credo ne in viciniam quoquo modo iniurius, aut vicini Drobobicensis oblitus viderere; de maximis & optimis vitæ Ducibus, Tibi iam inde prospecturus. Vale Mæcenas inclyte, & vt Nobilem illum Naufragum hospitali tabula collegisti, ita paucas hasce lineas manu, quâ soles, patronâ admitte.*

ELO-

E L O G I V M.

PATER MARTINVS LATERNA in Balthico ab Hæreticis demerſus, vt placaret iratum ſuis hoſtibus Numen, vectigalem animam, maris Domino, in victimã, ritu fortium deuouit. Hoc demum erat: Romano-Catholicæ Religioni liquidum ſcribere teſtimonium, & ſanguine & aquâ! Lubrico aliàs infidoque elemento, pro fidei aſſerendæ inſtrumento vſus, terrâ & mari perfidiam oppugnauit. Sed veri impatiens Suecorum hoſtilitas, ex diuino quem oderat Oratore, illuſtriorem Tyberino illo natatorem effecit. Nec tamen pœnitendo fatorum exitu. Præcipitatus de naui hoſtica in altum, profundioris gloriæ eluctatus in portum eſt! niſi perreptâſſe, truncatis dirè manibus dicendus ſit? Lucis ac vitæ naufragium libens pertulit, vniûs diſpendio, geminam lucraturus. Communi mortalibus lege etſi viueret, communi mortalibus conditione dedignatus mori, quæſito peregrè lethi genere eſt perfunctus. Defunctum aut extinctam caue dixeris Laternam, illuſtre ſequacibus iter, & ſub fluctibus hodieque præmonſtrat. Ignotam hactenus Argonautis viam, per immenſa famæ ſpatia emenſus, prodromâ ſui nominis pharo illuc appulit, quò auara pectora non impulit auri fames. E regio Sigiſmundi III. comitatu, heroicâ tolerantiâ laureatus Comes, ſqualorẽ atratæ chlamydis, oblato diuinitùs commutauit paludamento;

mento; dum ex magnarum Mentium vſu, quidlibet in ſuum trahens colorem ſolus in ſuæ tincturam purpuræ laborauit, ſudorem, ſanguinemq; immiſcens, quem nobile eliquârat tormentum. Igitur religioſo Principem obſequio ſecutus in Sueciam, dum æquè Deo ac Regi fidus, vtriuſque hoſtem hæreſim ſacrâ eneruat eloquentiâ, è prætoriâ in fretum truſus, ne tum quidem deſtitit inſectari ſectarios. Diceres, diuiſum illi ſuo cum Principe conſilium nauigandi fuiſſe, ſub diſpare votorum euentu. Sigiſmundo: vt hæreditarium à Gothis vindicaret regnum. Laternæ: vt cruoris impendio mercaretur coronam, Palmarijs concertatoribus, ex legitimo appenſam.

At enim latere ſub vndis Laterna cùm nequiret, eâ quâ mergi haud potuit ſui parte, è ſalo barbari æquoris, in ſolum patrij littoris emerſit. Non inſulsâ appellatione, nouum Drohobiciæ Salisburgum nactus. Hîc natale magni nominis emporium aperiens, vbi primam genitus lucem hauſit, natiuo Laternæ ſplendore offulſurus orbi terrarum. Factus purpuratæ legionis, non ante candidatus, quàm pretioſæ fuiſſet competitor necis. Incomparabilis athleta, piraticis luctatus cum gurgitibus, in campo cruentati à ſe æquoris palmas meſſuit, cùm manum non mouiſſet. Et verò non incommodè naualis è clade Martyrij adeptus lauream, vt nauali Ciuicam ſuperadderet, patriciæ Ciuitatis defenſionem ſuſcepit. Ageſis Drohobicia, Tuo Illuſtris, Tuo beata, ſuam Dantiſco non inuideas Laternam. Habes in Ciue Martyrem, in tribuli Tutelarem:

à quo-

à quorum altero decus, ab altero patrocinium ſperare, tuo iure poſsis.

MARTINI LATERNÆ

Studio & procuratione, inſtituta Drohobiciæ Ciuica Sodalitas, ſub titulo Sanctiſſimi Corporis Domini noſtri: quam in rem exſtat authentica eiuſdem, ad Magiſtratum Drohobicenſem Epiſtola, quæ ſacri inſtar depoſiti ibidem perhonorificè aſſeruatur.

MARTINO LATERNÆ.

SVam poſt fata remeanti in Patriam, Tuo vel Ciui, vel Heroi occurre Drohobicia. Olim, ſalis tantùm, nunc & Panis Ciuitas, panem & ſalem (more veterum) proferens, vtroque magnum Hoſpitem dignare honorario. Hoſpitalem quidni menſam inſtruas? cùm ſic abundes cæli Pane. Appone, ipſis Bonæ Gratiæ manibus laboratas dapes, quarum tibi & pretium ipſemet & famem fecit. Adeſte fortunati Accolæ, quotquot hîc Euchariſtici nexu fæderis, Sodalis mentium Pietas colligauit, illigandos quondam FASCICVLO VIVENTIVM, qui ſic colitis FRVMENTVM ELECTORVM, citò, ad agenda quæque fortia, CIBO FORTIVM profecturi. Agite ſi Viri eſtis, anteſignano præliaris Martini ductu,

ſub Manipulo frugis cælicæ, æternitatis commeatum parate Commilitones, nullâ melius pugnaturi ſub vmbrâ, aut victuri. Porrò inimicam vrbibus ne timete famem, quia Aeternæ militatis annonæ SVB SIGNO PANIS.

Nemo non huic nomen dederit militiæ, in qua pro ſtipendio VITA datur viritim. Martinus Laterna, veſtro prælucens ardori, his vos moribus, his legibus inſtitutos, maioris auctoramenti initiauit Sacramento.

Illo authore actoreque, immortali mortales admoti ſympoſio, vitalis alimoniæ vſu, vitam viuitis, morti & ſorti inacceſſam.

Procul hinc, quæ duas, ex vna efficit Ciuitate, diſcordia: vnica ter Sacri CORPORIS Reſpublica, vnâ mente animari, vno ſpiritu regi amat. State mutuis animorum in excubijs, Senatus populuſq; Drohobyciæ: Stationariæ etſi abſint cuſtodiæ, in Angelico vtique alimento præſentiſsimum latitat periclitàntibus munimentũ. Felix Vrbium conditio, pro quibus iure Ciuicæ Sodalitatis, tremenda ſub hoſtia, in hoſtes excubat Ciuis DEVS! Cæterùm, vt partem pallij, tuo non præcideris Martino, eius attamen felicitatis particulam obtines, in ſuarum CHIROGRAPHO Literarum; quibus à manu & Stylo Martyris, & pretium acceſsit, & pondus. Quot iſthic apices verborum, tot faces præmicant ad virtutem. Preſſis tenete manibus ò Ciues parænetícam LATERNÆ epiſtolam, Veſtræ ſeu Priuilegium gloriæ, ſeu proſperitatis vadimonium. I nunc & infecundã, Heroum appella Drohobiciam.